

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.124-141*

Tālibus ōrābat dictīs ārāsque tenēbat,

125 cum sīc orsa loquī vātēs: “Sate sanguine dīvum,

Trōs Anchīsiadē, facilis dēscēsus Avernō:

noctēs atque diēs patet ātrī iānua Dītis;

sed revocāre gradum superāsque ēvādere ad aurās,

hoc opus, hic labor est. Paucī, quōs aequus amāvit

130 Iuppiter aut ardēns ēvēxit ad aethera virtūs,

dīs genitī potuēre. Tenent media omnia silvae,

Cōcūctusque sinū lābēns circumvenit ātrō.

Quod sī tantus amor mentī, sī tanta cupīdō est,

bis Stygiōs innāre lacūs, bis nigra vidēre

135 Tartara, et īnsānō iuvat indulgēre labōrī,

accipe quae peragenda prius. Latet arbore opācā

aureus et foliīs et lentō vīmine rāmus,

Iūnōnī īnfernāe dictus sacer; hunc tegit omnis

lūcus et obscurīs claudunt convallibus umbrae.

140 Sed nōn ante datur tellūris operta subīre,

auricomōs quam quis dēcerpserit arbore fētūs.

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.142-159*

Hoc sibi pulchra suum ferrī Prōserpina mūnus

īnstituit. Prīmō āvulsō nōn dēficit alter

aureus, et similī frondēscit virga metallō.

145 Ergō altē vestīgā oculīs et rīte repertum

carpe manū; namque ipse volēns facilisque sequētur,

sī tē fāta vocant; aliter nōn vīribus ūllīs

vincere, nec dūrō poteris convellere ferrō.

Praetereā iacet exanimum tibi corpus amici

150 (heu nescis) tōtamque incestat fūnere classem,

dum cōnsulta petis nostrōque in līmine pendēs.

Sēdibus hunc refer ante suīs et conde sepulchrō.

Dūc nigrās pecudēs; ea prīma piācula suntō.

Sīc dēmum lūcōs Stygis et rēgna invia vīvīs

155 aspiciēs.” Dīxit, pressōque obmūtuit ōre.

Aenēās maestō dēfixus lūmina vultū

ingreditur linqūens antrum, caecōsque volūtat

ēventūs animō sēcum. Cui fīdus Achātēs

it comes et paribus cūrīs vestīgia fīgit.

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.160-174*

160 Multa inter sēsē variō sermōne serēbant,  
quem socium exanimem vātēs, quod corpus humandum  
dīceret. Atque illī Mīsēnum in lītore siccō,  
ut vērēre, vident indignā morte perēptum,  
Mīsēnum Aeolidēn, quō nōn praestantior alter  
165 aere ciēre virōs Mārtemque accendere cantū.  
Hectoris hic magnī fuerat comes, Hectora circum  
et lituō pugnās īnsignis obībat et hastā.  
Postquam illum vītā victor spoliāvit Achillēs,  
Dardaniō Aenēae sēsē fortissimus hērōs  
170 addiderat socium, nōn inferiōra secūtus.  
Sed tum, forte cavā dum personat aequora conchā,  
dēmēns, et cantū vocat in certāmina dīvōs,  
aemulus exceptum Trītōn, sī crēdere dignum est,  
inter saxa virum spūmōsā inmerserat undā.

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.175-197*

175 Ergō omnēs magnō circum clāmōre fremēbant,  
praecipuē pius Aenēās. Tum iussa Sibyllae,  
haud mora, fēstīnant flentēs, aramque sepulchrī  
congerere arboribus caelōque ēdūcere certant.

Ītur in antīquam silvam, stabula alta ferārum;  
180 prōcumbunt piceae, sonat icta secūribus īlex  
fraxineaeque trabēs cuneīs et fissile rōbur  
scinditur, advolvunt ingentēs montibus ornōs.

Nec nōn Aenēās opera inter tālia pīmus  
hortātur sociōs paribusque accingitur armīs.

185 Atque haec ipse suō trīstī cum corde volūtat  
aspectāns silvam immēnsam, et sīc forte precātur:  
“Sī nunc sē nōbīs ille aureus arbore rāmus  
ostendat nemore in tantō! Quandō omnia vērē  
heu nimium dē tē vātēs, Mīsēne, locūta est.”

190 Vix ea fātus erat, geminae cum forte columbae  
ipsa sub ōra virī caelō vēnēre volantēs,  
et viridī sēdēre solō. Tum maximus hērōs  
māternās agnōscit avēs laetusque precātur:  
“Este duces, ō, sī qua via est, cursumque per aurās

195 dērigite in lūcōs ubi pinguem dīves opācat  
rāmus humum. Tūque, ō, dubiīs nē dēfice rēbus,  
dīva parēns.”